

QUAER. 2^o *An omnia peccata luxuriae in Ecclesia aut coemeterio commissa sint sacrilegia?*

Resp. 1^o Peccata *mere interna* non sunt habenda ut sacrilegia, quia locum sacrum non videntur specialiter afficere, nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 462. Quod si habeantur ut sacrilegia, haec tamen circumstantia, utpote leviter culpabilis, non est necessario in confessione aperienda. Sacrilegium item erit desiderium peccandi in loco sacro habitum extra ipsum, non vero desiderium conceptum in loco sacro peccandi extra eundem. — S. Lig. n. 462.

Resp. 2^o Quoad peccata *externa*, certum est committi sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem. etc. Ex Iure canonico aperte patet (9). An vero committatur etiam per alia peccata externa gravia, v. gr. tactus graviter turpes, *controvertitur. Probabilius affirmant* S. Lig. n. 459., Collet, etc. — *Negant autem non improbabiler* Sanchez, Tamb., Bonac., etc. (10).

violationem, etiamsi ad castitatem servandam non vi ullius voti, sed ecclesiastica tantum lege adstrictus putetur.

Concludatur itaque, si quaestio ad principia eiusdem propria exigatur, nullam suppetere rationem, cur laesioni *voti simplicis ac privati sacrilegii proprie sumpti* reatus competat.

Ad sententiam autem ferendam de pondere auctoritatis tot Scriptorum, quae contra hanc conclusionem obiicitur, praestat inquirere, quo sensu *sacrilegii* vocem auctores adhibeant, immo an constet, eos ad diversum, quo usurpatur, sensum advertisse; insuper an ullam, an genuinam *rei sacrae* notionem praeferrant: tum vero an perpenderit, undenam *personae efficiantur sacrae*. Denique an licet notiones istas recte praemiserint, cohaerenter deinde de singulis decreverint, an vero rapi se aliorum auctoritate, re nullatenus perpensa, permiserint.

(9) Allegari solent cap. un. *De Consecr.* in VI., C. *Si Ecclesia* fin. *De Consecr.*, et C. *Ecclesiis* 20. *De Consecr.* dist. 2. Sed reipsa hi textus hoc habent dumtaxat, Ecclesiam seminis effusione pollutam indigere reconciliatione.

(10) Principium, cui ista opinio innititur, habes penes Sanchez (*De Matrim.* lib. 9. disp. 15. n. 4.), quod nempe *malitia haec et specialis deformitas non consurgit ex iure naturae, sed ex solo Ecclesiae statuto; at non invenitur ius ecclesiasticum haec prohibens in loco sacro fieri praeter textus... qui statuunt, Ecclesiam sanguinis aut seminis effusione violari.* Atqui hoc principium a communi hominum sensu prorsus abhorret. Quasdam enim actiones adeo per se turpes esse aut saltem profanas, ut etiam seclusa Ecclesiae prohibitione locorum sacrorum sanctitatem dedeant, et huic ita opponantur, ut si in ipsis patrentur, honori ac reverentiae illis debitae derogare censeantur, hoc enimvero non christiana modo plebs, sed vel ipsi ethnici naturali rationis lumine agnoverunt, ac semper professi sunt. *Indecens enim per se est, ut locus orationi et cultui divino deputatus convertatur in locum peccandi et offendendi eundem Deum,* ut ait Lugo (*De Poenit.* disp. 16. n. 466.). Porro huius irreverentiae malitia, ut scite idem Lugo advertit (l. c.), *non apparet, cui virtuti opponatur, nisi religioni*

QUAER. 3^o *An omne furtum in Ecclesia sit sacrilegium?*

Resp. 1^o Constat, esse sacrilegium omne furtum rei sacrae et etiam rei non sacrae, commissae tamen loci sacri custodiae, ut patet ex Iure can. C. *Quisquis*, 21. §. 2. causa 17. Quaest. 4., ubi legitur: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

Resp. 2^o Quoad res, quae casu aut per accidens in Ecclesia reperiuntur, ut crumena, horologium etc... *controvertitur.* — *Probabilius neg.* cum Lugo, Azor, Less. etc., contra Laymann et alios (11).

287. — *QUAER. 4^o An laesio quorumcumque bonorum ad Clericos pertinentium sacrilegium constituat?*

Resp. *Neg.*, sed tantum laesio bonorum, quae Clerici possident non suo sed Ecclesiae nomine, et de quibus disponere nequeunt, quia haec tantum sunt sacra. — S. Lig. n. 42. *et alii communiter.*

QUAER. 5^o *An vasa et vestes sacrae converti possint in usum profanum?*

Resp. *Affirm.*, si res totaliter ita immutetur, ut ad communem reuducatur, v. gr. si Calix igne aut ferro argenti massa fiat.

propter specialem reverentiam, quae debetur loco sacro, atque adeo ad quam peccati speciem, praeter sacrilegium, pertinet.

Accedit oppositae sententiae incommo- dum. Ius enim ecclesiasticum, e quo sacrilegii rationem isti theologi desumunt, mere loquitur de Ecclesiae reconciliandae necessitate; unde primi huius doctrinae auctores, Caietanus (*Opusc.* t. 1. resp. 12.) et Navarrus (*In C. Consideret* n. 20.) inferunt, sacrilegium tantummodo haberi in actu, quo locus ineptus ad divinum cultum efficitur. Exinde vero profluit consecrarium, quod Pontius (*De Matr.* lib. 10. cap. 10. n. 45.) cum aliis deduxit, nullum vel nefandissimum luxuriae crimen in ecclesia patratum posse haberi et dici *sacrilegium*, si occulta maneat effusio seminis; quippe si haec lateat penitus, aut paucis quibusdam tantum innotescat, ecclesia reconciliatione non indiget. Hinc autem duo absurda sponte effluunt. Primo quod nulla actio per se, dum occulta manet, sacrilega erit. Deinde quod actio sacrilega non erit, quousque manet occulta; fiet vero deinceps sacrilega, si forte cri-

men, quod occultum diu mansit, in plurimum notitiam deveniat.

Hinc verior doctrina censenda est, quam tradidit Lugo (l. c.), nempe quod seclusa ignorantia et inadvertentia, omnia peccata in ecclesiis commissa aliquam specialem irreverentiam includant; quae licet non semper gravis sit, sed levis esse possit atque adeo non necessario explicanda in confessione, ad malitiam tamen sacrilegii pertinet.

Non silentio praetermittendum hic est, S. Alphonsum (lib. 3. n. 485.) post Salmanticenses (Tract. IX. cap. 15. nn. 61-62.) ceu *probabile* tradere, *praeciso scandalo nunquam esse sacrilegium copulam maritalem in Ecclesia habitam.* Sed haec opinio nullum fundamentum, praeter fallaces allegationes, habet. Nam doctores a Salmanticensibus allegati reipsa id tantummodo de casu necessitatis affirmant. Caeterum circumstantia scandali per se malitiam sacrilegii non inducit.

(11) Ex praemissa doctrina melius dicendum, etiam haec furta ex loci sacri circumstantia non carere sacrilegii malitia; quae tamen cum levis sit, non erit necessario a poenitente exprimenda.

Secus autem, si totaliter non immutetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire, nec ornamenta Sacerdotum ad usus profanos applicare. Secus autem de iis, quae non benedicuntur, ut tapetes, candelabra. — S. Lig. n. 41.

QUAER. 6^o *An Calices aliaque vasa, sacra unctione consecrata, sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur artificii reficienda, debeant a sacerdote exsecrari?*

Resp. S. R. C. 20. Aprilis 1822. *Negative.*

QUAER. 7^o *Quibusnam licitum sit vasa sacra tangere?*

Resp. Omnibus et solis Clericis absque licentia speciali. Id etiam conceditur regularibus laicis sacristis ex privilegio Sixti IV, necnon monialibus sacristis ex communicatione privilegiorum. — S. Lig. n. 48. — Salmant., et alii communiter.

Licet autem omnibus tangere alias res sacras, cuiusmodi sunt v. gr. *Agnus Dei*, saltem ex hodierna consuetudine, Reliquiae Sanctorum, ornamenta sacra, exceptis iis quae sanctam Eucharistiam immediate tangunt.

§. III. De Simonia.

288. — DEFINITIO. Simonia, a Simone mago sic dicta, est studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale, aut spirituali adnexum. Dicitur *voluntas studiosa*, id est *deliberata* (12).

Pretium temporale triplicis generis in Iure canonico (13) distinguitur: 1^o *munus a manu*, seu retributio rei cuiusvis temporalis pretio aestimabilis (14); 2^o *munus a lingua*, seu patrocinium, quo nomine veniunt

(12) Simonia definitur *studiosa voluntas*, non modo quia, non secus ac alia peccata, *deliberationem* exigit, sed etiam quia ad essentialem eius malitiam non requiritur, ut pactum mutuo consensu vel reipsa perficiatur, sed sufficit interior vel unius affectio simoniaca, paciscendi nempe seu obligandi voluntas.

(13) Ita S. Gregorius relatus in Can. *Sunt nonnulli Caus. 1. q. 1.:* *Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebite impensa. Munus a manu pecunia est. Munus a lingua favor.*

Munus autem, ut patet, hic non pro dono liberali accipitur, sed pro pretio, seu debito, quod necessarium onus et gravamen inducat.

(14) Huc revocatur non solum debiti remissio (quod aperte constat ex cap. *Veniens 10. De Testibus et attestacionibus*), sed etiam dilatio solutionis, vel solutio anticipata, et mutuatio; quorum tamen rationem dum reddere quidam volunt, haud medioeriter se remque totam implicent.

Et S. Alphonsus quidem (lib. 3. n. 57.) sua ipsius mens recta compulsi, ut mutui exactionem pro re spirituali simoniacam diceret, et posthaberet idcirco opinionem, quae solum pactum mutuandi in posterum, non vero mutuandi in praesens, ceu pravum damnat: quam opinionem perperam Salmanticenses (*De Simon. cap. 1. n. 35.*), S. Thomae adscribunt; nam S. Doctor (2. 2. q. 78. art. 4. ad 2.) non de obligatione mutuandi imposita, sed loquitur de

laudes, commendationes, preces, etc., ex pacto interponendae in favorem conferentis rem spirituales (15); 3^o *munus ab obsequio*, seu servitus

captanda benevolentia, qua quis sponte sua ad remutuandum inclinatur.

Caeterum S. Alphonsus (l. c.) nullam rationem reddit, nisi quod *Simonia sit tradere quicquid temporale pro spirituali*. At superest difficultas, quo pacto *mutuatio*, quae gratuita esse debet, dici possit quid *temporale* eo sensu, ut *pretio* aequiparetur. Nam, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 100. art. 5.), ad Simoniam requiritur *pretium aut aliquid pretio aestimabile*, quod a gratuitate mutui abest.

Laymann itaque (lib. 4. Tr. 10. c. VIII. §. 3. n. 25.) ut conciliet gratuitatem mutui cum Simonia exigentis mutuum, recurrit ad latiore *pretii* sensum, ut comprehendat *omnem aliam commoditatem temporalem, quae ex pacto detur pro re spirituali*. Verum haec merito pugnantia dixeris. Nam commoditas temporalis, quae non sit pretio aestimabilis, est chimaera. Vid. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. et 4. dist. 25. q. 5. art. 3.

Eundem nodum ut solvant Salmanticenses (l. c. n. 36.), reponunt, non esse necessariam in mutuo tantam puritatem, quanta exigitur in spiritualibus. Sed hoc nihil est. Etenim puritas, quae exigitur, haec prorsus est, ut arceat compensationem, quae sit pretio aestimabilis.

Vera itaque ratio, cur simoniacum sit exigere mutuum pro re spirituali, inde petenda est, quod usus propriae pecuniae aliis concessus per se reapse sit quidpiam pretio aestimabile; quod quidem non solum communis hominum sensus, sed et plerique fatentur doctores (Vid. Lugo *De Iust. et Iur. disp. 25. n. 18. 24.*) cum S. Thoma (3. dist. 37. q. 1. art. 6. ob. 2. coll. 4. dist. 25. q. 3. art. 3.). Neque tamen inde sequitur, pretium pro mutuo exigi licite posse. Quippe mutuum ex omnium sententia censetur inter contractus gratuitos, non secus ac *commodatum et donatio*.

Comp. Theol. Mor. — Tom. I.

Quisquis ergo *mutuam* dat pecuniam, sponte ex liberalitate renunciat compensationi, quam licite posset exigere, non secus ac qui equum commodat aut donat, sponte compensationi seu pretio renunciat, quod pro usu equi aut pro ipso equo percipere alioquin posset. Porro qui mutuum *exigit ex pacto* pro re spirituali, non quidpiam liberaliter oblatum recipit, sed onus per se pretio aestimabile imponit. Merito ergo id simoniacum censetur.

(15) Haec itaque simonia tunc committitur, quando per collationem rei spiritualis *collator pacto quopiam vel expresso vel tacito intendat obligare alium ad preces pro se fundendas*, seu ad aliud eiusmodi officium.

Exinde Suarez (*De Simonia cap. 40.*) ostendit, plus aequo hoc *munus a lingua* quosdam protendisse, dum contenderunt, simoniacum esse etiam quod quis det aliquid spirituale, motus precibus vel illius, cui spirituale conceditur, vel alterius; quam opinionem, ut Suarez (ibid. n. 5.) notat, quidam perperam S. Thomae attribuerunt. Quidam tamen merito excipiunt, si collator has preces exigat ceu conditionem, praesertim si eas exigat a persona principe, cuius humile in his obsequium ambiat. Quod tamen *munus ab obsequio* potius quam *munus a lingua* dicendum foret.

Sic itaque Suarez casum a casu recte distinguens (l. c. n. 3.): *Dico ergo 1^o Postulare ab aliquo Praelato (et idem est de aliis), ut conferat alicui beneficium sine promissione alia vel pacto, nunquam est sufficiens ad simoniam, nec illae preces habent rationem pretii, nec Praelatus propter illas principaliter conferens beneficium, simoniam committet, licet alias peccare possit. Haec est nunc communis et recepta sententia.*

quaelibet, aut officia alteri praestita, v. gr. famulatus aut simile officium quodlibet.

Triplex pariter est temporale spirituali adnexum: 1^o *antecedenter*; cui accedit spirituale, ut ius patronatus fundo inhaerens; 2^o *consequenter*, quod ex spirituali pendet, ut ius decimas percipiendi; 3^o *concomitanter*, ut labor in functionibus sacris. Huiusmodi autem labor adnexus est rei spirituali vel intrinsece vel extrinsece. Dicitur adnexus *intrinsece*, si a re ipsa non sit facile separabilis; secus adnexus *extrinsece* dicitur. Sic celebratio Missae est labor intrinsece rei spirituali adnexus; defatigatio autem extraordinaria, ut cantus, dilatio ad meridiem, iter longum vel arduum suscipiendum ad celebrandum, et alia similia, ad laborem extrinsece adnexum pertinent.

Divisio. Simonia distinguitur.

1^o *Mentalis*, si fiat mere interne vel absque pacto (16).

Et infra (ibid. n. 9.): *Colligitur ex dictis, non esse simoniam precibus inducere potentem virum aut familiarem Papae vel Episcopi, ut mihi ab illo impetret beneficium.*

Simoniam autem crimen sic deinde exponit (ibid. n. 12.): *Dico secundo; si per collationem beneficii vel alterius rei spiritualis collator intendat obligare alium ad preces pro se fundendas, tunc proprie recipit munus a lingua: unde si recipiat sub pacto expresso vel tacito, simoniam committit; idemque est, quoties preces et intercessionem praecesserunt sub pacto vel promissione beneficii, si fierent. Haec assertio communis est.*

Et rationem reddit, *quia preces huiusmodi sunt quid temporale et aestimabile pretio, et fiunt in gratiam et lucrum eius, qui propter illas spirituale praebet... Ut autem haec ratio pretii interveniat, necesse est, ut promissio vel pactum intercedat; nam si absque obligatione tales preces antecedant, et sequatur beneficii collatio ex sola gratitudine, vel e converso praecedat spirituale donum, et sequatur intercessio pro donatore ex sola gratitudine, non est simonia.*

Et hic non omittenda sunt, quae notat Schmalzgrueber (lib. 5. tit. 3. n. 114.). Nam postquam monuit, *munus a lingua vocari laudes, commendationes, preces, v. gr. si quis alicui, apud principem gratioso, conferat beneficium cum pacto, ut hic apud principem interponat... suas preces... pro obtinenda gratia certa, quam ipse desiderat*; mox subdit: *Neque refert, etsi intercessio ordinetur ad aliquid spirituale, ex. gr. ad impetrandum per eam beneficium ecclesiasticum; quia intercessio haec in se est aliquid temporale: ergo dum pro ea beneficium datur, iam datur spirituale pro temporali; consequenter committitur simonia.* Haec prae oculis habere illi debuissent, qui inter argumenta, quibus confirmare volunt, simoniae reatum inesse in emendis pecunia precibus ad beneficium consequendum, hoc etiam utuntur, quod preces illae sint *quid spirituale*. At enim si sunt spirituale, non haberemus in casu praemisso nisi permutationem rei spiritualis cum alia spirituali, atque adeo nec pretium illud temporale, quod dicimus *munus a lingua*, et consequenter neque simoniam; quod tamen est contra *sacros canones* et communem omnium sententiam.

(16) *Mentalis* simonia dicitur non qui-

2^o *Conventionalis*, si pactum quidem intercedat, sed nullo modo executioni mandatum (17).

3^o *Realis*, si pactum ex utraque parte adimpleatur (18).

dem propositum ineundi cum alio pactum simoniacum, sed voluntas, qua quis sine ulla externa pactione intendit alium obligare ad reddendum spirituale, dum confert illi temporale, aut viceversa. Ita, v. gr. si quis collatori vacantis beneficii filium commendat, et interim specie doni liberalis argentea vasa ipsi mittat ea interna intentione, ut eum moveat et obliget ad filium suum praesentandum. Et huc prorsus spectat proposit. 45^a ex proscriptis ab Innoc. XI. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, si temporale non datur tamquam pretium, sed tamquam moticum conferendi vel efficiendi spirituale.*

Huc etiam pertinet, si quis pro re temporali accepta rem spiritualement aut viceversa pro spirituali accepta rem temporalem, tamquam compensationem ex iustitia debitam, alteri conferat.

(17) Simoniam partitiones diversae apud diversos occurrunt. Alii trifariam dividunt, in *mentalem, conventionalem, et realem*; et hi quidem duplicem conventionalem distinguunt, *puram* scilicet, quando ex neutra parte impletum sit pactum, *mixtam*, si impletum ab alterutra tantum parte fuerit.

Alii autem simoniam dividunt bifariam, in *mentalem* et *conventionalem*; sed postremam hanc tripliciter distinguunt, nempe 1^o *puram*, cum neutra pars traditionem rei perfecit, 2^o *mixtam*, cum una tantum pars tradidit, 3^o *realem*, cum utrinque facta est traditio. Et haec quidem advertisse iuvenit ad auctores rite intelligendos.

Cum vero conventio sit *duorum, plurimumve in idem placitum consensus*, patet, ad conventionalem simoniam non sufficere solam alterutrius promissionem,

sed opus esse, ut promissio ab altero fuerit acceptata; secus *mentalis* potius simonia dicitur, quam *conventionalis*.

(18) Tria hic advertenda: 1^o Ut simonia censeatur *realis*, atque poenae incurrantur, necesse non est, ut pro re spirituali iam tradita simoniacum pretium solutum integre fuerit, sed sufficit, ut inchoate seu ex parte traditum sit.

2^o Licet post traditam rem spiritualement simonia tamdiu habeatur uti *conventionalis*, donec simoniacum pretium tradit incipiat, tamen quoad iuris poenas ad tempus praeteritae pactionis retrahitur. Vid. Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 35.) et Reiffenst. (eod. tit. n. 23.).

3^a Licet quidam autumaverint (Vid. apud Suarez *De Simon.* cap. 41. n. 7-9.) quoad effectum incurrendi poenas simoniam habendam esse ut *realem*, quando tradita iam sit res spiritualis, utut nondum traditum temporale pretium fuerit; idque tum ob quosquam textus iuris, in quibus poena intentatur, licet pecunia tantum *promissa* sit (Vid. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 247.), tum propter confidentialem simoniam; communior tamen sententia aliquam ex utraque parte traditionem exigit; et obiectos textus non efficaces esse ad contrarium suadendum, clare ostendit Reiffenstuel (lib. 5. tit. 3. n. 239-243.). Quod vero tradito in confidentiam beneficio poenae antea quoque incurrantur, quam alter promissionem suam impleverit, hoc ex Constitutionibus Pii IV. et Pii V. ita singulare est, ut ne ipsi quidem huius simoniae *mediatores*, licet alioquin ob simoniam realem (C. *Cum detestabile* 2. *De simonia Extrav.*) excommunicatione percussa, poenam incurrant, nisi traditione utrinque completa, quippe qui in Pii IV. et Pii V. Constitutionibus non comprehendantur.

Accedit Simonia *confidentialis*, quae fit quolibet pacto, seu confidentia in electione vel praesentatione ad beneficia, aut in horum resignatione, etc. (19). — S. Lig. n. 49. 56., etc.

Distinguitur etiam Simonia *iuris divini*, seu *naturalis*, et *iuris ecclesiastici*. Prior habetur, si res simoniace permutata spiritualis sit ex natura sua, ut sunt indulgentiae, Sacramenta, etc.; posterior vero, si res sit spiritualis ex sola Ecclesiae institutione, ut sunt beneficia (20).

(19) Simonia *confidentialis* speciales leges ac poenas habet ex Constit. *Romanum* Pii IV, et Constit. *Intolerabilis* Pii V; eiusque materia sunt sola *beneficia ecclesiastica*. Quocirca si pacta simoniaca fiant circa *pensiones* aut quodvis aliud ius, quod sub nomine *beneficii* proprie non comprehendatur, ad simoniam communem, non vero ad confidentialem sunt revocanda.

Specialis autem haec simonia in eo consistit, quod is, qui alteri beneficium dat utcumque, idest aut eligendo, aut praesentando, aut postulando, aut conferendo, aut dando in Commendam, aut instituendo aut in alterius favorem resignando, quidpiam propria auctoritate ex pacto (expresso aut tacito) vel circa beneficium reservet. Dixi *ex pacto*: nam sola *interior* obligandi intentio simoniam induceret *mentalem*, non autem *confidentialem*; ad quam tamen ex §. 3. Constit. Pii V non requiritur expressus recipientis beneficium consensus: sed sufficit, quod cognita dantis reservatione beneficium acceptet.

Reservatio porro circa ipsum beneficium multiplex, ut eruitur etiam ex Pii V Constitutione, distinguitur, nimirum:

1^o Reservatio *accessus*, cum quis vult beneficium consanguineo aut etiam sibi demum obvenire; interim tamen illud alteri utcumque confert eo pacto, ut hic opportuno tempore consanguineo vel sibi ipsum resignet.

2^o Reservatio *ingressus*, cum quis beneficium sibi iam collatum, sed nondum

possessum, alteri ea conditione resignat, ut ubi hic illud quavis de causa dimiserit, ipse resignans ius habeat eius possessionem ingrediendi.

3^o Denique reservatio *regressus*, cum quis beneficium a se iam possessum resignat alteri eo pacto, ut quando hoc utcumque vacaverit, ad ipsum resignantem aliamve certam personam sit regressurum.

Haec autem resignationes prohibendi praecipua causa etiam a Synodo Trid. innuitur (sess. 25. cap. 7, *De Reform.*), quaedam scilicet *odiosa hereditariae in beneficiis successionis species*; unde et coadiutorias cautissime concedendas S. Synodus decernit.

(20) Clarius alii: Simonia iuris divini adest, ubi vilipenditur rei spiritualis dignitas per comparationem ac permutationem cum re temporali, scilicet cum pro re temporali datur res per se vere spiritualis aut spirituali adnexa. Iuris vero ecclesiastici est, cum res spiritualis aut huic adnexa datur pro alia itidem spirituali seu huic adnexa, ut in permutatione beneficiorum absque superiorum auctoritate, vel etiam cum res *per se* temporalis datur pro pretio temporali, uti si quis emat officium oeconomi, thesaurarii etc. Licet enim ab hisce permutationibus absit praedicti contemptus malitia, merito tamen Ecclesia ex motivo religionis et reverentiae erga sacra eas interdixit. Ita communis sententia, quae et hanc posteriorem ceu proprie dictam simoniam habet. Vid. Schmalzgr. (lib. 5. tit. 3. n. 24-25).

289. **Principia.** — I. Ad Simoniam requiritur, ut temporale detur aut accipiatur sive *formaliter*, sive *virtualiter* pro ipsa re spirituali, et in eius commutationem, ita ut fiat aequiparatio rei spiritualis cum temporali, seu commutatio ex motivo primario unum pro altero ceu pretio aut iusta compensatione habendi. Ratio ex ipsa Simoniae definitione aperta est. Hinc si interveniat aliquod motivum honestum, vi cuius temporale et vicissim spirituale tribuatur, unum non esset amplius alterius motivum, sed solum eius causa impulsiva, nec proinde Simonia foret.

Dixi 1^o *formaliter*, id est quod directe quis intendat loco temporalis et propter eius aestimationem accipere spirituale.

Dixi 2^o *virtualiter*, quod nempe quis per temporale *proxime* et *immediate* obtinere velit spirituale, nec aliud motivum verum et honestum intercedat. In hac enim voluntate virtualiter includitur intentio unum cum alio commutandi. — Ita Suarez, etc.

II. Licet dare pro pretio temporali adnexum spirituali *antecedenter* et *concomitanter extrinsece*, modo pretium ob spirituale adnexum non augeatur. Nullatenus vero licet dare pro pretio adnexum spirituali *concomitanter intrinsece*, seu *inseparabiliter*, neque adnexum *consequenter*.

Ratio 1^{mi} quia res et labor actionis sunt vere in se pretio aestimabiles. Prohibetur tamen Iure canonico venditio balsami, quod in Chrismate continetur, licet consecrationi praeeexistat; quia cum sit modici pretii, Episcopus vendere Sacramenta videretur. — S. Lig. n. 72.

Nihilominus quoad oleum benedictum vel sacrum Chrisma Scavini advertit: Usus in aliquibus Ecclesiis cathedralibus invaluisse, ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.

Ratio 2^{di} est, quia quod est intrinsece adnexum spirituali, ab ipso inseparabile est, unde res ipsa vel actio vendi censeretur. Attamen etiam secluso labore extrinseco licite aliquid pro ministerio sacro accipi potest ratione stipendii, seu sustentationis, ut ex praxi Ecclesiae constat. Postulat enim aequitas naturalis, ut honesta sustentatio concedatur iis, qui aliorum utilitati vacant. Hinc Christus, *Luc. 10. 7.*: *Dignus est operarius mercede sua.* — Et Apostolus, *1. Cor. 9. 13.*: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Pro Sacramentorum tamen administratione nil hoc titulo accipiendum est etiam a sponte dantibus; si quid autem sponte offertur, id pro elemosyna accipi potest. — S. Congr. Cone. 1. Febr. 1593.

Ratio 3^{ti} est, quia illud *consequenter* censetur spirituale, vel spirituali alligatum. Eruitur etiam ex speciali Iuris canonici dispositione.